

Johannes Freder Balthasar Masquedelius

**Oratio De Excellente Doctrina Et Virtvte ac vita Johannis Chrysostomi, Episcopi Constantinopolitani. Johanne Fredero Superintendentene, S. Theologiæ Doctore [et] Professore ... in Academia Rostochiensi, cum Gradus Doctoris Theologiæ ... M. Balthasari Masqvedelio ... Reginæ Daniæ Concionatori aulico publicè decerneretur, die XI. Septembris, An. 1595. habita: Iam vero aliquot inclyti regni Danorum Episcopis, luminibus Ecclesiæ Dei Clarissimi, & fideliss. d. & d.**

Rostock: Myliander, 1600

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1762857227>

Druck Freier  Zugang



Fe-  
3129.







ORATIO  
DE EXCELLENTE  
DOCTRINA ET VIRTUTE  
ac vita IOHANNIS CHRYSOSTOMI,  
Episcopi Constantino-

politani.

F.e - 3129

222

JOHANNE FREDERO

Superintendente, S. Theologiae Doctore & professore, & Collegij Theologici pro tempore Decano,  
in Academia Rostochiensi, cum Grandis Doctoris Theologiae,

Reuerendo & doctiss. viro

M. BALTHASARI MASQVEDE LIQ  
illusterrimæ serenissimæq; Reginæ Daniæ Con-  
cionatori aulico publicè decerneretur, die XI.  
Septembris, An. 1595. habita: Iam vero aliquot  
incliti regni Danorum Episcopis, lumi-  
nibus Ecclesiæ Dei clarissimis &  
fideliss. d. & d.

1 Tim. 4.

TYPVS ESTO FIDEI



Rostochij, typis Myliandrinis, Anno 1595.  
Mense Augusto.

F.e - 3129.

*Reuerendissimis Dominis*

- D. M. IACOBO MATTHIÆ,  
Episcopo Fionensi & Canonico Ri-  
pensi,  
D. M. IACOBO HOLMIO  
Episcopo Alburgensi & Canonico  
Wiburgensi,  
D. M. PETRO HEGGELVNDÖ  
Episcopo & Canonico Ripensi,  
D. M. IOHANNI ÆGIDIO,  
Episcopo & Canonico Arhusiensi,  
&  
Dn. GEORGIO SCHRODERO  
Ecclesiæ Haderslebiensis, & vicina-  
rum Præposito,

*Doctrina & virtute humanitateq; clarissimis, bene-  
factoribus, amicis, symmystisq; suis tenuem banc de-  
fidi Episcopo D. IOHANNE CHRYSOSTOMO orationem, honoris, ami-  
citie & gratitudinis caussâ  
officiosè*

D. & D.

Iohannes Frederus.

ORATIO  
DE IOHANNE  
CHRYSOSTOMO &c.

**V**m instet dies, quo clariſſimum Ecclesiae Doctorem, Iohannem Chrysostomum, ante 1188 annos, poſtridie Idus Septembris, rebus humanis exemtum fuisse annotatum eſt; Et uisitata Schola consuetudo, vel de parte aliqua doctrina, Et artium aut virtutum dignitate aliquid dicere, vel historias clarorum viorum, qua et ipſa multa iuuentutem de studijs et moribus salutaria monent, recitare permittat: Chrysostomi episcopi vitam, studia, Et docenda ac gubernanda Ecclesie;

A 2 labo-

labores & pericula, hoc loco recen-  
sere potissimum visum est: Quem  
ingenio, pietate ac eloquentia pra-  
stantem, inter ceteros Ecclesia  
Christianæ Doctores eximius syde-  
ris instar eluxisse, & memoriam  
sui in benedictione, & laudem in  
ecclesia sanctorum illustrem, reli-  
quise ad omnem posteritatem, vi-  
demus.

Est autem pietatis & gratitudi-  
nis Deo debitæ pars non postrema,  
eorum virorum memoriam grata  
mente ac voce conseruare, quorum  
salutari & insigni opera, Deus in  
vera doctrina a se traditæ propa-  
gatione, in Ecclesia usus est. Ideo  
enim Deus Heroicos aliquot Do-  
ctores & gubernatores, excellenti  
doctrinæ

doctrinae & virtute & multis gen-  
tibus salutari instruit & ornat,  
eamq; agnoscit a ceteris & celebra-  
ri præcipit: ut Deum autorem do-  
norum, qua in eis fulserunt, alij  
agnoscant, & exemplis ad pietate-  
m & decus excitentur: & Dei  
sapientiam, bonitatem & præsen-  
tiā in gubernatione Ecclesia, &  
donis magnorum virorum, qua  
sunt sapientia & virtutis Diuine  
radij, intuentes, Deum laudent ac  
celebrent, ut præcipit Psalmus:  
Laudate Dominum in sanctis eius:  
& pie ac sapienter scripsit quidam:  
Hos ego cum laudo, laus ea tota  
Dei est. Optarim autem tantum  
virum, & tanta DEI dona in eo  
lucentia, rudi & inculta oratione

A 3

mea

mea non deformari, sed magnitudini rerum respondentे laudatione ornari posse. Sed cùm Deus infantium etiam & lactentium voce laudes suas perficit estetetur: et nunc officij ratio, & Academia consuetudo, dicendi necessitatē mibi imponat: non excusabo meam prolixè imperitiam vel infantiam, sed obedientia & officij DEO & legibus Academia debiti maiorem, quam ingenij & eloquentiæ laudem esse statuens, argumentum propositum, ut potero, tractabo. Filium Dei Dn. N. f. C. summum Theologiae Doctorem ac episcopum ecclesiae ardentibus votis precor, ut pura doctrina sua voce semper aeternam ecclesiam, sibi in  
bis.

bis regionibus, per ministros idoneos ac salutares, colligat; Et Doctores fideles ipse excitet, Et reverendum Et clarissimum Dn. Doctorandum Et nos singulos, doceat, gubernet Et adiuuet, ut vera Et salutaria nobis Et alijs discamus et doceamus, Et Dei gloriam illustremus: A vobis etiam viri clarissimi, magnificentia, dignitate, prudentia, eruditione virtute Et nobilitate studijsq; doctrinarum ornatisissimi adolescentes officiosè Et amanter peto, ut de eloquentissimi Doctoris Chrysostomi vita me balbutientem potius, quam dicentem candidè Et benigne audiatis.

Natus est Johannes Chrysostomus, Antiochia Syria metropoli,

A 4 loco

loco nobili, et celebri quondam, ur-  
be copiosa, atq; eruditissimis homi-  
bus, liberalissimisq; studijs affluen-  
ti, quam totius Orientis apicem.  
Marcellinus nominat; Et, in qua,  
discipuli Apostolorum doctrinam  
de Christo amplectentes Christiani  
primum appellati sunt. Parentes,  
cum generis splendore, cum vera  
pietate Et virtute nobiles, fue-  
runt, Secundus Et Anthusa, qui,  
filium eximia ad virtutem Et lite-  
ras in sole præditum, Et naturâ ad  
facundiam Et profluentem oratio-  
nis copiam factum, in scholis Rhei-  
torum, ac Philosophorum erudiri,  
arexcoli, Et ad Rem publicam prepa-  
rari voluerunt. Florebat, ea etate  
illustri sapientia ac eloquentia Et

Atti-

Atticæ in primis elegantiæ gloria  
LIBANIVS Antiochenus.  
apud quem, condiscipulos Chrysostomus adolescens habuit, Euagrium postea episcopū Antiochenum;  
Theodorum Mopsuestiensem in Cilicia; Maximum Seleucia, Isauria; Et paulò ante Chrysostomum, eidem Libanio operam dederant,  
Basilius omnium scriptorum Ecclesiasticorum eloquentissimus: Et Gregorius Nazianzenus, qui in ecclesiæ Byzantinae gubernatione Chrysostomum præcedens, orthodoxam in ea urbe Ecclesiam, Arianorum furoribus sub Constantio, Juliano Et Valente ferè deletam, instaurauit. Libani eloquentiam multis insignibus elogij Basilius in

A 5 epista-

epistolis celebrat. ἐμπνευσθεὶς λόγον Πτι  
χίος Λιβάνιος ἔχεισθε, οὐ μόνον τοῖς λόγοις  
ψυχὴν ἐδωρήσας spiritu et vita anima-  
tam orationem solus in terris Libai-  
nius scripsit, qui solus animā ora-  
tioni à se formatā donauit. At tali  
ergo praeceptore in studijs eloquētia  
formatus ac expolitus Chrysostomus,  
accedente ad naturam exi-  
miā atq; illustrē doctrinæ cœlestis,  
ac Philosophia uniuersa scientiā,  
et usū dicendi ac exercitatione  
assidua confirmatus, non immer-  
tò à posteritate Chrysostomi cognō-  
men accepit, quod solum alioquin, in-  
ter omnes eruditos, Dionis Sophi-  
stæ, elegantissimis, et argutissimè  
elaboratis orationibus, quæ adhuc  
extant, Traiani aetate claro, con-  
tigit.

tigit. Chrysostomus autem velut  
per gradus, in Ecclesia Antioche-  
na progressus, primum lector Ec-  
clesiasticus, deinde Diaconus à  
Meletio episcopo, postea presbyter  
ab Euagrio ordinatus est. In primis  
autem Flaviano episcopo familia-  
ris, & comes celebrata illius Le-  
gationis pro totius ciuitatis An-  
tiochena salute ad Imperatorem  
Theodosium suscep& fuit. Cum  
enim irritata, magistratum Cæ-  
sareorum in tributis exigendis a-  
cerbitate, multitudo Antiochena,  
seditione atroci commota, non tan-  
tum magistratus Cæsareos truci-  
dasset, verum etiam Imperatricem  
laudatissimam, Placillam recens  
defunctam contumelia affecisset,

euer-

euersis statuis, in illius honorem  
passim in ea urbe erectis: cumq;  
Imperator grauissimas indignatio-  
num flamas aduersus ciuitatem  
concipiens, totam euersurum se mi-  
naretur: Flavianus episcopus, pa-  
terna fide & cura de salute ciuita-  
tis sollicitus cum delecto ex omni-  
bus ordinibus comitatu, supplex  
apud Theodosium pro ciuibus suis  
factus est; inter cetera dicens.  
Non oportere imperatorem pro-  
pter violatam mortua coniugis  
imaginem, tot viuas Dei imagines  
trucidare, ac reconciliata Cæsari  
ciuitate, cum domum redijisset, per  
Chrysostomum acta in legatione  
publicè coram Ecclesia exponi u-  
bet. ac orationes in eo negocio cir-  
citer

citer decem, antè & post legationem ad populum Antiochenum, habita adhuc inter Chrysostomi Homilias extant.

Hac tanta celebritate fama cùmpassim in Oriente nomē Chrysostomi innotuisset: accidit, ut Necario, Constantinopoleos episcopo defuncto, successor autoritate, doctrina, & eloquentia, excellens, quereretur. Omnia igitur ordinum, nobilium, Cleri, & populi suffragijs, Chrysostomus ab Arcadio accitus, & à Theophilo Alexandrino ordinatus est, cùm quidem cura ecclesiarum, non in urbe Constantinoli solum, sed totius etiam Thracie, Asia, & Ponti inspectio ipsi commendaretur.

Tan-

Tanto munericum præcesset, singulari diligentia, fide, constantia & sedulitate spartam suam ornare studebat, & functionem sibi commissam exequebatur. Fideliter & perspicue veram & salutarem doctrinam, ac veram agnitionem ac invocationem DEI, ad paenitentiam, & fidem, & pietatem veram, & consolationem in animis alendam, & mores pie regendos utilem, omissis disputationibus argutis & curiosis, qua prophanas quæstiones pariunt magis quam fidem & dilectionem in Christo Iesu (ut Paulus loquitur) assidue populo proponebat: qui & rerum bonitate, & eloquentia illius illecebris captus studiosissime docentem audie-

audiebat, ac ex ore illius, doctrina  
Et consilijs totus pendebat.

Itaq; non in subtilibus Et curio-  
sis dogmatum disputationibus Et  
controuersijs argutè disceptandis,  
in quibus οἱ λόγοι ναπεπαλαιώσον λόγους Et  
mutuis se acuminibus compun-  
gunt, sed in materijs moralibus fe-  
rè, utilibus ad vitam Et mores pie  
Et sanctè regendos, Chrysostomi  
Homilia versantur, dum de pre-  
catione Et Gratiarum actione  
Deo praestanda de vera Humili-  
tate Et patientia, Et quia humili-  
tas antecedit gloriam, quanto  
quis officij causa acerbiora passus  
fuerit, tanto magis gloria eius ex-  
crescit, de candore Et Dilectione  
ac Eleemosynis proximo tribuen-  
dis,

dis de pia concordia bonis omnibus  
preferenda, & mansuetudine, de  
temperantia & ieunio, de fugien-  
da luxuria, ambitione, ira, invi-  
dia, obtrectatione, calumnia, &  
similibus vita humanae virtutis  
pestibus excindendis assidue praci-  
pit, & hac populari, & ad vulgi  
captum accommodata docendi  
ratione utilius auditorum pietati  
& virtuti alenda consulit, quam  
si Dionysij Areopagita, vulgo  
dicti, ~~negotiorias regi David~~ in quaerere  
Thomam & Scotum ipsum subti-  
litate questionum & disputatio-  
num acuminibus superare studuis-  
set. Etsi autem raro dogmatum  
controversias attingit & morali-  
bus illis materijs, in docendo ut  
pluri-

plurimum occupatur: tamen de aliquot fidei articulis & multis nostrorum temporum controversijs, Testimonia illustria & cum nostris ecclesijs consentientia passim recitat. quæ ex ipsius homilijs excerpti prodesset. Symbolum Nicenum de uno vero Deo & seruatore nostro I. C. repetitum anno 17 ante ipsius Episcopatum in Synodo Constantinopolitana, simplificata & indubitata fide amplexus est, & summam in Homilia de fide in Christo breviter recenset, Deum non esse causam peccati & damnationis humanae sed voluntatem Diaboli & hominum, constanter ubique profitetur; etiam si omnia quæ opponuntur de divina

B deter-

determinatione, permissione, sustentatione natura peccantis prorsus extricari, ut omnibus contentiosis satis fiat, nequeunt. Libertatem igitur humana voluntatis à coactione & necessitate omnium actionum Stoica & Manichea ubiqꝫ defendit: & Gratia domini, non tollere libertatem, sed sanare & adiuvare demonstrat. De confessione peccatorum, non coram hominibus, sed coram Deo facienda in Psalmum Misericordie, & ad Ebraos 12 concionatur, Peccata tua dico, ut deleas illa. Non dico, ut confitearis conseruo tuo, ut exprobret. Dico o Deo, qui sanat ea. Nam sub proximo Chrysostomi antecessore, episcopo Necta-

Nectario, Constantinopoli pri-  
uata confessio, graui de causa in-  
termitti cæperat.

De cœna Domini passim concio-  
natur: Homilia 30 de proditione  
Iude, Tomo v) Nuc ille præsto est  
Christus, qui illam ornavit men-  
sam, ipse istam quoq; consecrat.  
Non enim homo est, qui proposi-  
ta in mensa Domini corpus facit,  
Et sanguinem sed ille qui crucifi-  
xus pro nobis est Christus. Sa-  
cerdotis ore verba proferuntur, Et  
DEI virtute consecrantur, Et  
gratia. Hoc est, ait, corpus me-  
um, hoc verbo proposita conse-  
crantur: Et sicut illa vox qua di-  
cit: Crescite et multiplicamini Et  
replete terram, semel quidem di-

B 2            ita est,

Et a est, sed omni tempore sentit  
effectum ad generationē operante  
natura: ita & vox illa semel qui-  
dem dicta est, sed per omnes men-  
sas ecclesia usq; ad hodiernum di-  
em & usq; ad eius adventum pre-  
stat sacrificio firmitatem: In o-  
mnibus itaq; Deo pareamus neq;  
contradicamus: licet cogitationi-  
bus nostris adversari videatur &  
oculis, quod dicitur; sed sit & cogi-  
tationibus & visu dignior ipsius  
sermo: & in mysterijs agamus.  
Nec solum pra oculis posita respi-  
ciamus, sed ipsius verba contine-  
mas. Ipsius enim sermo infallibi-  
lis, sensus autem noster seduci fa-  
cilius. Ille nunquam decidit, hic  
autem ut plurimum errat: Quo-  
niam

niam igitur verbum dicit: Hoc  
est corpus meum & pareamus &  
credamus, & intellectualibus ip-  
sum oculis intueamur.

Ac ex Chrysostomo, nullas e-  
ius atate priuatas missas, sed u-  
nam communem cenam seu Syna-  
x in fuisse, satis constat ac plura  
de hoc articulo testimonia à pluri-  
bus collecta extant.

De adoratione Christi secun-  
dum carnem in Epistola ad Ebreos:  
Reuera magnum & admirabile  
& stupore plenum est, carnem no-  
stram sursum sedere & adorari ab  
angelis & Cherubin ac Seraphin,  
qua sepius mente versans excep-  
tior, & magna de genere hu-  
mano cogito, sed hac & similia,

B. 3 de

de controv̄ersijs nostri temporis  
dicta, ex operum Chrysostomi le-  
ctione attēta aliquando excerpere,  
et ad cōvenientes doctrina & Theolo-  
gica locos referre poterimus. Omis-  
sa igitur hac testimoniorū doctrina  
collectione, ad ceteras partes officij  
episcopi à Chrysostomo fideliter ad-  
ministrati accedo. Non enim do-  
ctrinam solum placidē & sedulō  
auditoribus tradidit, verū et-  
iam peccata & mores vitiosos in  
Clero, aula & populo, in omnibus  
hominum ordinibus grauter ac se-  
uerè absq; prosopolepsia taxauit,  
& clerum in primis ad morum gra-  
uitatem & vitam sacerdotio di-  
gnam, & canonibus ecclesiasticis  
convenientem adhortatus est, de-  
linquen-

linquentes adversus canonas se-  
verè correxit. Quares primum  
et odium multorum in Clero conci-  
liavit: qui adversus episcopum cō-  
spirantes, asperitatem illius nimi-  
am & superbiam ac fastum, passim  
ad populum traducebant. Sapè  
enim accidit, quod de Ieremia  
Propheta quidam scripsit, eum tot  
hostes habuisse, quot auditores: tot  
viperas, quot collegas. Felicior  
autem Chrysostomi conditio fuit,  
quem auditores propter pietatis  
doctrinam ac eloquentiam dilige-  
bant, Clerici verò collega, id quoq;  
in eo calumniabantur, quod vale-  
tudinis causa, invitatus ad alio-  
rum coniuia nunquam accederet,  
& ipse domi ferè solus cibum su-

B 4

mere

mere soleret. Sed Episcopus, εμμελῆς  
τῶν πρακτῶν, ἀνελῆς δὲ τῶν τοῖς αὐτοῖς λεγομένων,  
intentus in ea qua erant a-  
genda, & Cleri de se fabellas in  
vulgarum sparsas, negligens, ma-  
gno, ac excelso animo mandata of-  
ficij sui munera, in docendo, ar-  
guendo, corrigendo ac instituendo  
in iustitia urgebat: donec ex pro-  
ceribus quosdam solita lingua li-  
bertate obiurgans, maiorem ad-  
versus se inuidiam accedit.  
Summam tunc potentiam in aula  
Byzantina tenebat Eutropius  
eunuchus, qui Arcadium totum  
Gorgonis instar possidebat, ven-  
dens magistratus ac sententias  
ac dans & eripiens provincias,  
quibus volebat: qualis apud

Tibe-

Tiberium Seianus, apud Scue-  
rum, Plautianus fuerat. Hic  
Eutropius, cum Palati Casarei  
præfектus, ac eo anno consul esset,  
cupiens in quosdam, qui ad Eccle-  
siam configurerant, animadvertere,  
legem ab Impp. ferricurauit, ut  
liceret fontes ex templo vi ad sup-  
plicium abducere, cum antea pœ-  
na differentur. Hoc priuilegium  
templo auferri ægre ferens, cum  
paulò post Eutropius ipse offen-  
so imperatore, ad summum  
altare Ecclesia sua configisset:  
toti concioni cum, velut exem-  
plum, vanitatis & inconstan-  
tiarum humana rum, satis acer-  
be misero insultans ut <sup>Imperio</sup> nomen  
videri posset, proponit, ac Eutro-

B s pio,

pio, tum quidem, iuxta ipsius legem, ex templo extracto, iussu imperatoris caput præcsum, & nomen eius ex consulum ordine penitus erasum est, sicut biennio ante, Ruffinus, summus exercituum dux & Arcadij tutor, in ipso conatu affectati imperij interfecitus erat. Quos ambos sempiterna posterorum, infami memoria Claudianus tradidit: cum dubitantem se de providentia, ob felices sceleratorum, Ducum successus, tandem viriusq; suppicio, piam assensionem de providentia rursum in suo pectore confirmatam fuisse memorat. Non iam ad culmina rerum iniustos creuisse queror: tolluntur in altum. Ut lapsu

lapsu graviore ruant. His tertium  
Gaina ducis Gottici & summi  
militum magistri exemplum addo.  
Is cum Arianus esset, Templum  
sua religionis exercitio intra ur-  
bem Constantinopolin ab Impera-  
tore attribui petebat. Episcopus,  
re ad ipsum delata: Noli (inquit)  
o imperator, hac promittere, ne-  
que sanctum canibus dare. Non  
enim potero Deum piè glorifican-  
tes expellere, & templum sanctum  
blasphemantibus Deum impiè tra-  
dere. postea praesente Arcadio,  
Gaina potentissimi Ducis Barbari  
impudentiam, ita retudit, ut  
sponte ab hac petitione tum desiste-  
ret. Sed postea seditionem adver-  
sus imperatorem alia de causa mo-

uens,

uens, cum noctu submissis militi-  
bus incēdere Palatum Imperato-  
ris, in quo nulla esse militum prae-  
sidia sciebat, conatus esset, An-  
geli Gigantum specie armati, mi-  
lites depulerunt. Inde Thraciam  
direptionibus & incendijs perva-  
gatus, cùm misso ad eum episcopo  
legato non flecteretur, tandem  
profligato exercitu cum euasisset,  
in fuga interfectus est. Ab his  
igitur hostibus, quantumvis po-  
tentibus, periculum capitis Chry-  
softomo nullum adhuc extitit, do-  
nec Eudoxiam imperatricem gra-  
viissimè offendit: Quæ, per episco-  
pos aliquot, & proceres aulicos,  
arte tandem eò rem deducit, ut  
Synodo convocata Chrysostomus  
excussus

excusus episcopi dignitate, in exiliū pelleretur. Magna eo tempore inter episcopos præcipuos, de libris Origenis dissensio erat. Quos Theophilus Alexandrinus ac Epiphanius Cypri episcopus condemnari volebant: quibus assenti-ri Chrysostomus, ante catholicam causę cognitionem, cunctabatur, & minas Theophili, aliorumq; inimicorum suorum machinatio-nes, excelsō animo, ex sublimi de-spicere ac contemnere se ostendebat donec Epiphanius ipse, à Theophi-lo incitatus, Constantinopolin ac-cessit & damnationem librorum Origenis subscribi frustra vrsit. Chrysostomus, ab Eudoxia, Epi-phanium, aliosq; adversus se inci-tari

tari intelligens, Hippoactam,  
malæ mulieris vituperationem,  
die decollationis Iohannis Baptista  
instituit, qua die decollationis oc-  
casio acriora in Herodis similes  
etiam dicendi presbiteris datur,  
ut epigramma eruditum & inge-  
niosum ostendit.

Coram Herode Herodiadis dum filia saltat,  
Dum cui debuerat displicuisse placet  
Ebrius affectu Rex coniugis, ebrius illo  
Fortunæ luxu, prætereaque mero.  
Optet, ait, virgo; dabitur, iuravimus huius  
Dimidium regni poscere si libeat.  
Impia suggestu sceleratæ filia matris  
Inquit, Baptistæ da precor ergo caput.  
Rex dolet & tristis concedit, nempe coactus  
Iurisiurandi religione sui.  
O Regem fidum, sed tunc tantummodò fidum  
Maius perfidia est cum scelus ipsa fides  
Ora viri fœdo sancti fluitantia tabo  
Decussumq; gerit regia mensa caput.  
Talia regales ornant bellaria mensas  
Crede mihi, non est pauperis iste cibus.

Quem

Quemadmodum autem laudatio bona & honesta & fæmina institui potest ut dicas, O BONVM, OMNI BO-  
NO MELIVS VXBONA: &c. Sic vi-  
tuperatio mala mulieris à Chry-  
sostomo instituta est his verbis:  
Quis mulierum illarum ( Herodi-  
adiis, Iezabelis, Dalila ) cru-  
delem malitiam enarret? ò MALVM  
OMNI MALO PEIVS, MVLIER MALA.  
Hac si potentis alicuius uxor sit,  
non cessat die ac nocte virum suum  
callidis stimulare sermonibus,  
blanda nequiter, & importuna  
violenter, donec mentem eius ex-  
trudat, ut similem sibi faciat ma-  
ritum, improbis male suadet con-  
silijs, sicut Herodias fecit Herodi.

Hanc asperam abiurgationem  
adver-

adversus se potissimum directam,  
Eudoxia universo etiam populo  
indice, intelligens & ardenti vin-  
dicta cupiditate inflammata ali-  
quot episcopos & proceres instigat,  
ut Chrysostomum, alij de alijs cri-  
minibus accusent. Theophilus  
igitur Alexandrinus Synodo  
Chalcedonem convocata Chry-  
sostomum citat. Hic, per procu-  
ratorem, illud inimicorum suo-  
rum conuenticulum adire recu-  
sat, & generale concilium, non  
suspectum, institui petit. Cum  
autem quater citatus non compa-  
ruisset, velut inobediens et contu-  
max damnatus est. ac ne vlla pro-  
pter ipsum seditio moueretur, spote  
se, ignorante populo, imperatoris  
mini-

ministris decretum Synodi execu-  
turis, tradidit, & ad Hieron  
Ponti ostium, velut in exilium du-  
ctus est. Orta autem ingenti se-  
ditione & ad ipsum Palatum po-  
pulo clamante, & episcopum suum  
reposcente, principes petitioni vul-  
gi, tantopere commoti, cedentes eu-  
nuchum mittunt, qui episcopum in  
civitatem redire, & suo officio,  
ut antea, fungi inbeat. Rursus  
igitur aliquantis per in ecclesia do-  
cet Chrysostomus & episcopos ac  
pastores ordinat. Accidit autem  
paulò post, ut Eudoxia Impera-  
trici statua argentea, non procul  
à templo Sophia, in columnapor-  
phyretica collocaretur, apud quam  
histriones & Mimi comedias cre-

C

bras

bras & alia spectacula exhibebant. Hanc statuam & ludos præsertim templo vicinos, severè episcopus taxabat & non præmisso antea privatim supplice ad Principes libello, statim liberrimo eloquentia impetu talia iubentes fieri, asperrime obiurgat: cumq[ue] non tollerentur ludi, & Eudoxiam denuo aduersus se grauius inflamatam esse sentiret, concionem ab his verbis inchoat: Nam iterum Herodias insanit, iterum turbas ciet, iterum saltat, iterum Iohannis caput in disco petit.

Paulò post denuo ab episcopis ip-  
si inimicis deponitur, & iussu im-  
peratoris, qui se communicare illi,  
a duobus concilijs damnato, am-  
plius

plius non posse ostendebat, ad extre-  
mos Imperij Romani & Ar-  
menia fines relegatur: ubi altero  
exili anno, Christi 412, die 14  
Septembris, ex hac vita, in cœle-  
stem ecclesiam evocatus est: anno  
20 post Gregorium Nazianzen-  
num: nono post Ambrosium e-  
piscopum Mediolanensem: deci-  
mo post Martinum episcopum  
Turonensem, octavo ante Hiero-  
nymum, vicesimo ante Augusti-  
num, ex his terris sublatum. Nam  
hæc lumina ecclesia Dei precipua,  
exiguis & brevibus intervallis se  
mutuo secuta sunt.

Agamus autem Deo eternocu-  
stodi & conservatori ecclesie sue,  
toto pectore gratias, quod lucem

C 2

vera

vera de se doctrina & Doctores ac  
gubernatores Ecclesia salutares o-  
mnibus temporibus excitavit, ac  
rexit, eumq; ardentibus votis pre-  
cemur, ut deinceps etiam in hac  
mundi senecta, idoneos ac fideles  
ministros & operarios in messem  
suam mittat: & ministerio reue-  
rendi clarissimiq; Domini Docto-  
randi benedicat: ut ipsi trino &  
uni Deo gratum, & multis homi-  
nibus salutare sit, & idem Deus  
max: opt: sanctiss. nos omnes & sin-  
gulos doceat, seruet, ac gubernet.

## DIXI.

Iam restat id, cuius nomine po-  
tissimum hic publicus & solennis  
actus institutus est, ut reverendo  
docti-

doctissimoq; Domino Candidato  
conferamus publicum doctrinæ  
testimonium, quod à collegio no-  
stro reuerenter petiit, idq; clemen-  
tissima & optima voluntate & iussu  
inclytæ serenissimaq; Danorum  
Regina, illustrissimi celsissimiq;  
principis & Domini, Domini  
VLRICI, principis Megapo-  
litanorum, patris patriæ, Domini  
nostriclementissimi, (quem meriti  
honoris debitq; subiectionis causâ  
toties nominamus) filia unica &  
unicè carissima, qua in munere  
Ecclesiastico huius nostri symmista  
fidelis & felici opera præclare utitur  
eoq; minus officio nostro deesse ei  
voluimus vel debuimus, maximè  
etiam cum non solum iam antè

C 3

nobis

nobis toto eō tempore quo nobis-  
cum in hac Academia aliquot  
annos familiariter vixit, pietatem  
mores ipsius temperantes, castos,  
suaves perspexerimus & ad a-  
morem virtutis honestatisq., & ad  
moderationem ac grauitatem  
morum à natura eum ipsā duci,  
atq, doctrina & assuefactione  
naturam bonam excoluisse, & di-  
lectionem ac studium veritatis  
Dei, verae fidei & modestiae, reli-  
quarumq, virtutum generi vitæ,  
cui consecratus esset, conuenientissi-  
marū, in suo pectore confirmasse, sed  
etiam ex eiusdem proximè elapsis  
hebdomadibus hic viuentis fami-  
liaribus serijsq, colloquijs de re-  
bus Theologicis & Diniis in pri-  
mato

uato examine & publica disputa-  
tione eius eruditio[n]e ita explora-  
uerimus, ut dignum honorifico col-  
legij nostri testimonio iudicemus:  
quod hic ipse scit non esse profa-  
num spectaculum: sed iudicum  
Ecclesia Dei, & agnoscit etiam  
inde gradū vita precipuum esse fieri  
Doctorē Ecclesia talem, qui ita  
sit[ur]a toto Doctorum sancta Theolo-  
gia collegio examine debito inspe-  
ctus & publicè adhibita disputa-  
tione acri, & seriatentatus, & tot  
præstantium & excellentium pie-  
tate, doctrina, virtute, autoritate,  
dignitateq[ue] virorum præsentia  
& congratulatione comprobatus:  
atq[ue] se ministrum Ecclesia eiusmo-  
di iam constitui, qui nontantum

C 4 tradere

tradere fideliter vniuersam Ecclesiae doctrinam, sed etiam omnes Ecclesiae, omnium temporum controuersias scire debeat, & si non sciat omnes adeoplenè & integrè, in studiurn inquirendi incumbere, ut possit eas indicare, et propugnare pro veritate, atq; refutare errores, qui puram doctrinam prauo aliquo dogmate in quatuor Synodis: Nicana, Bizantina, Ephesina, Chalcedonensi damnato corrumpunt aut alijs furoribus fanaticis intricant. De his & alijs rebus grauiissimis & maximis Candidatum hoc testimonium & gradus, quem iam accepturus est, commonefacit. Primum autem iurabit, more solito iuxta formam, quam publicus Academia minister ei præponet.

IVRO

---

PRÆSENTATIO

Reue-

Reuerende & clarissime Dne.  
Doctor Luca, Vicecancellarie &  
Collega colende. Ad Academias  
in primis apostoli praeceptum per-  
tinet: BONVM DEPO-  
SITVM CVSTODI PER  
SPIRITVM SANCTVM  
Atq; iccirco in Scholis propaga-  
tio doctrinae propheticæ & aposto-  
licæ sancita est, & ordinati sunt  
gradus, et Episcopi præditi autori-  
tate, Academiarum cancellarij &  
æquosq; constituti sunt: ut caelestis do-  
ctrina aliaq; artes ritè conseruen-  
tur, & hoc sanctissimum nobileq;  
depositum ad posteritatem verum  
& sincerum transferatur. Hoc  
consilio ante annos centum octo-  
ginta unum, tempore Constanti-

C 5

nensis

ensis Conciliij, consentiente Sigis-  
mundo imperatore, inclytæ huic  
Academia Cancellarius præfектus  
est, EPISCOPVS Ecclesia  
Suerinensis; e qua notitia Christi an-  
te quingētos annos latè in Daniā,  
in Pomeraniam, in has aliasq; vi-  
cinas regiones sparsa & propagata  
est: que iam in Ecclesijs nostris  
purissima & clarissima fulget Dei  
beneficio, quod ingens est ino  
maximum & gratis mentibus &  
gratis vocibus agnoscendum &  
prædicandum.

Cum autem hoc tempore reue-  
rendissimi Domini, Domini E-  
piscopi Suerinensis Academia no-  
stra Cancellarij debito cum hono-  
re sapienti nominandi, principis  
nostris

noſtri illuſtriſſ. & Domini Cle-  
mentiſſimi iuſſu munus Cancel-  
lary tibi impoſitum ſit, praefentem  
Candidatum genibus coram Deo  
& ſummo ſuoq; in terris magistra-  
tu inſidentem, cuius doctrinam &  
mores ante commendaui, commen-  
do tibi denuo, quem ſcis promiſiſ-  
ſe fidem & diligentiam. Atq; etiā  
atq; etiam peto, ut uſitato in Aca-  
demij more po teſtatem & licenti-  
am accipiendo gradum & inſignia  
doctorum Theologiae ipſi concedas,  
& una nobiſcum votis ardētibus  
preceris, ut omnia ad gloriam Dei  
& ſalutem hominum dirigantur.

## PROMOTIO

Quod

Quod igitur felix faustumqz sit.  
Ecclesiae Dei, Ego Johannes Fre-  
derus sacrae Theologiae Doctor &  
Professor, autoritate publica,  
qua in presentia fungor, te M.  
**B A L T H A S A R E M**  
**M A S Q V E D E L I V M** in  
nomine Patris, Filij, & Spiritus  
sancti, communi nostrae Ecclesiae  
& collegij Theologici sententia  
creo, promoueo & pronuncio,  
Doctorem Theologiae, qua in Eu-  
angelio Dei proposita est, et quam  
in Ecclesia sua DOMInus noster  
**J E S V S C H R I S T V S** fide-  
liter conseruari propagariqz vult:  
& oro Deum trinum & unum,  
ut mente, studia, consilia & concio-  
nes tuas regat suo Spiritu Sancto,  
&

Et adsit tibi, ut officium tuum sit salutare & Ecclesia Dei fructum producas copiosum.

## RITVS PROMOTIONI ADDITI.

Vsitati autem sunt aliqui ritus in hac testimoniorū renunciatione publica, quos sapienti antiquitatis consilio institutos etiam adhibeo: ut tibi tribuantur omnia ornamenta & priuilegia gradui Doctorum adiuncta.

## CATHEDRA.

Primum te reuerende & clarissime Domine Doctor BALTHASAR MASQUEDELI in hanc superiorem Cathedram

thedram vocās admoneo te de vo-  
catione, non inuadendum esse sine  
vocatione munus docendi in Ec-  
clesia & te cum iam præclaro mu-  
nert Ecclesiastico apud inclytam  
& optimam Reginam D. SO-  
PHIAM serenissimi DANIAE  
Norvegiae, Vandalorum & Go-  
thorum Regis, Duci Sleswici,  
Holsatiae, Stormaria, & Dith-  
marsiae: Comitis in Oldenburg &  
Delmenhorst, laudatissima celsissi-  
maque memoria, viduam capiō dicitur  
fungaris, fidelissimè dekerē te ei in-  
seruire. Quod si facies, ut es antè  
pollicitus, Deus tua aucturus est  
dona euentusque recturus, sicut  
in parabola de ijs, qui fideliter  
negociantur, dictum est: Habenti  
dabitur

dabitur: Et Paulus inquit: Qui  
honestē seruiunt, gradum sibi ho-  
nestum acquirunt & magnam fi-  
duciam, qua est in CHRISTO  
JESU. Magna consolatio est,  
certum legitima vocationis testi-  
monium habere, & membrum esse  
vera Dei Ecclesiae fidelibus, &  
pijs, eruditis, & sincera beneuo-  
lentia inter se coniunctis Doctori-  
bus Euangeliū clara & florentis,  
quemadmodum David: Latatus  
sum (inquit) in his quæ dicta sunt  
mihi, in dominum Domini ibimus:  
Quia illic sedent sedes in iudicio,  
Cathedra domus David. Rogate,  
quæ ad pacē sunt Ierusalē, prosperē-  
tur diligēt este, sit pax intramuros  
tuos, & beatitudo in palatijs tuis.

LIBER

LIBER APERTVS  
CLAVSVS

Deinde quia summus & preciosissimus in terris thesaurus & lumen vita principium est hic liber sacrosanctorum bibliorum, continens Doctrinam de vero Deo, & redemptore nostro IE SV CHRI STO immediate ab ipso Deo per filium in scriptis Prophetarum & apostolorum traditam: qua ipse sua voce nobiscum loquitur, & humano generi arcanam voluntatem suam de reconciliatione & aeterna hominum salute manifestat, qua immediate seruit fini ad quem homo conditus est: qua omnibus cateris artibus & doctrinis velut

mini-

ministris utitur, cui custodienda, & conseruanda imperia, regna, Ecclesiae & Schola potissimum seruunt, quæ denique, notitiam Dei ac invocationem veram, & normam regendæ vitæ certam & firmam consolationem in omnibus ærumnis, & præsidia vitæ praesentis & fontem æternæ salutis monstrat. Hunc igitur librum tibi trado & aperio: ut principia deinceps etiam cura & labor desideriumque tuum sit cœlestium oraculorum discendorum & ad usum transferendorum studium & diligentia, & religionis cultusque Divini scientia de die in diem maior & uberior. Tanta enim ( ut verbis Augustini utar ) est Chri-

Dicitur Christiana-

stianarum profunditas literarum,  
ut in eis quotidie proficerem, si eas  
solas ab ineunte pueritia usq; ad  
decrepitam senectutem maximo  
otio, summo studio, meliore inge-  
nio conarer addiscere: in quibus  
latet altitudo sapientia, ut anno-  
sissimis, acutissimis, flagrantissimis  
cupiditate discendi hoc contingat,  
quod eadem scriptura quodam lo-  
co habet; Qum consummauerit  
homo, tunc incipit. Assidua igitur  
lectio & meditatio huius libri no-  
bis esse debet commendatissima &  
principuū est officiuū, quod nobis in-  
cubit: ut simus custodes huius libri  
sacrosancti & verarum eiusdem  
explicationū: nec licet nobis, ut in  
alijs artibus, ingeniorum acumine,  
dogmata

dogmata excogitare, sed hanc sin-  
ceram illibatamq; doctrinam, qua  
in libris, quos per Prophetas &  
apostolos Deus Ecclesia tradidit,  
semper & perpetuo nos amplecti  
ac propagare necesse est. Man-  
data enim manifesta sunt: Ab  
infantia sacras literas noueris.  
Attende lectioni & doctrinae. Ad  
legem & ad testimonium: Quod  
si non dixerint iuxta verbum hoc,  
non erit eis matutinalux: Econ-  
tra vero est promissio addita, in  
eo catu verè Ecclesiam DEI esse,  
ubi hac doctrina sonat, nec alibi  
esse, ut Christus, Si quis diligit (in-  
quit) me, sermonem meum serua-  
& pater meus diligit eum,  
& veniemus ad eum & mansio-

A 2

nem

nem apud eum faciemus. Ideo  
semper, ut monui, nobis in conspe-  
ctu sit hic codex, & sit norma do-  
ctrina, consiliorum, & uniuersa gu-  
bernationis vita nostra.

Claudo etiam hunc librum,  
quemadmodum Seruator noster  
in patria dicens Clausum librum  
ministro reddit: ut commonefas,  
hunc librum & doctrinam in eo  
comprehensam non in his duntax-  
at pagellis legi, sed etiam intimis  
tui cordis penetralibus tenacissi-  
mè firmissimeq; concludi Diuinoq;  
Spiritu obsignari oportere; ut E-  
saias precatur: Ligat testimonium,  
obsigna legem tuam in discipulis  
meis.

III PILEVS

Addo

Addo & Pileum, vetus insigne  
docentium, & hoc ritute admo-  
neō, oportere in Ecclesia Doctores,  
discipulos, & studia esse. Etsi e-  
nim doctrina Ecclesia unica est  
comprehensa certis libris & quasi  
literis certis, ut legi & relegi  
queat: tamen saepe dictum aut scri-  
ptum aliquod collatione scriptu-  
rarum declarandum & illustran-  
dum est. Et cum saepe prophani  
transforment verba scripture in  
prophanas sententias, nouasq; gi-  
gnant opiniones, vocem fidelium  
interpretum Deus in ministerio  
vult sonare: ut propagetur una  
& perpetua sententia in Ecclesia  
& refutentur nouae interpretatio-  
nes, ut cum Samosatenus corrum-

D 3 peret

peret dictum: In principio erat  
verbum, eo in loco personam &  
intendere significare, & adfirmabant  
se hanc sententiam ab apostolis ac-  
cepisse. Non enim frustra institutum  
est ministerium docendi Euangeliū,  
imò Deus seruat in aliquibus  
ministris eximiam lucem & donum  
interpretationis, quos gubernat  
Spiritu Sancto. Sunt igitur testes  
aliqui fideles id est incorrupti  
doctores, sunt discipuli p̄ij, sunt  
studia, ut confirmantur in men-  
tibus vera sententia. sicut monet  
dictum Samsonis: Nisi mea vitula  
arassetis, non inuenissetis. Non  
dicam iam de modestia seruanda  
cùm in omni sermone & gestu tūm  
in vestitus, de quibus etiam hac  
ceremonia nos commonefacit. Le-

uitatis enim & inconstantia in-  
dicium est affectatio nouitatis in  
vestitu: & honestus habitus ad au-  
gendam dignitatem & existima-  
tionem conducit. De his & si-  
milibus nos hic ritus impositionis  
pileorum in promotionibus & ma-  
nuum in ordinatione ministrorum  
admonet, qui uterq; fortasse or-  
tus est ex vetussima Ecclesia I-  
raelitica consuetudine, nimirum,  
quod, cum Aaron summus ponti-  
fex & Doctor Ecclesia in populo  
renunciandus esset, Deus mandat  
capiti eius Tiaram & filiis ipsius  
mitras & victimis & sacerdoti-  
bus consecratis manus imponi. Si-  
gnificat igitur hi ritus Doctoribus  
& ministris Euangelij excitatis & vocatis à

D 4

Deo

Deo benedici & eosdem vi-  
ctimas fieri, sustinenda ipsis o-  
dia, obtrectationes, & rumnas & sup-  
plicia propter veritatis confessio-  
nem. Crux enim est quæ terribili-  
ter circumdat Ecclesiam ac præ-  
cipue Doctores & ministros E-  
uangelij, ut inquit Filius Dei : Si  
quis vult me sequi, tollat crucem  
suam, & me sequatur. Hic est Dei  
processus, & hoc modo processit De-  
us cum Moysè stante in littore  
maris rubri, & cū Daniele obsesto  
leonibus &c Nemo sibi promittat,  
quod Euangeliū non promittit,  
inquit Augustinus : Non nobis  
promittunt scriptura nostra in  
hoc seculo, nisi tribulationes,  
pressuras, angustias, augmenta do-  
lorum

lorum, abundantiam tentationum: ad ista nos præcipue paremus, ne imparati deficiamus. Hæc quæm vera sint, seniores experti sunt, & aliqui non seniores: sed tamen inter has tribulationes in hoc ipso processu Deus pios sustentat & umbraculo filij sui mirabiliter protegit & defendit, ut Christus prædictus & promittit operem: Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, sed capillus de capite vestro non peribit.

## ANNVLVS

Ingenuitatis ac fidei ac dignitatis vetus & illustre insigne est annulus aureus: Quod ornementum  
D<sup>s</sup> etiam

etiam tibi tribuo, ut hoc tu de re-  
tinenda puritate verae ac sincerae  
de Deo doctrinae, quam scriptura  
auro obryzo confert, tum de fide-  
litate in toto ministerio Ecclesiae,  
sponsa filij Dei tibi commendant  
occasione sapientius cogitandi tibi  
præberi videoas, Atque simul etiam  
te in eorum virorum ordinem  
euchi consideres, qui præcipue sa-  
lutarem Ecclesiae Reiq; publica o-  
peram nauant. Sic Linio teste a-  
pud Romanos annulus aureus e-  
questrem ordinem à reliqua mul-  
titudine discernebat, nec cui-  
quam nisi equiti id insigne gerere  
licebat.

COM-

## V. COMPLEXVS ET OSCVLVM

Addo etiam Osculū atq; Complexum: quibus admonemur de fādere concordia, quod inter Professores vera doctrina & concionatores perpetuum esse in primis debet: Non ambitione, non malevolentia, non odijs, non cupiditate vindictæ, non emulatione, non leuibus causis turbemus concordiam: sed memores simus precationis filij Dei: qui in ultimo agone, maxime solitus de concordia, clamat ad Patrem: Pater sancte serua eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut in Nobis sint unum. Itaq; cordi sit nobis tetraстиchon

illud

illud aureum & illustre:

Sint vnum, doceant vnum, fateantur & vnum,

Qui bene de Christi nomine nomen babent,

Illorum nullus virtus animosa periclis

Cedat, et heroa tristia mente ferat.

Quod sancto regi Dania Christiano III tam carū fuit, sicut scribit Iohannes Flinnerus, ut eo mirificè sit delectatus, & posteriores (inquit) versus centies mihi accinere dignatus est, si videbat me tristiore: priores obijciebat in omnibus Ecclesiasticis, domesticis, & aulicis negotijs, sape decies uno die.

Ad qua recitanda occasione harum ceremoniarum, qua in oculos incurentes in promotionibus seruari solent, deueni: qua non instar ludorum scenicorum aut Theatricorum habenda sunt, nec duntaxas

dunt axat ideo adiunguntur, ut hunc actum efficiant  
spectabiliorum dignitatemq; ordinis eorum qui hoc  
gradu ornantur, & reuerentiam aspectantium & au-  
scultantium, erga eosdem & ministerium eorum auge-  
ant: sed potissimum ut sint vocationis eorum, argu-  
menta & signa, ut ceremonijs hisce conspectis, tota  
Ecclesia et Schola sit certa de eorum vocatione, de mo-  
ribus de doctrina excellētia toti presbyterio probata,  
et illi ipsi quibus hic gradus confertur subinde ha-  
rum admonitionum sint memores & in primis studij  
concordia in Deo Non enim (ut Basilius inquit)  
tam opus est sinistræ dexterā, quam Ecclesiæ con-  
cordiā Itaq; ut peccus filij Dei ardet petens Doclo-  
rum concordiam: ita nos quoq; accendamur amore  
concordia, & cedentes ubi cedendum est, cohibe-  
mus frenemusq; impetus, qui semper temere moue-  
nt discordias: quæ quanq; inicio paruae sunt, tamen  
paulo pōst magnas excitant dissipationes, & in-  
flammari animi nouas excogitant et inussitatas  
in Theologia locutiones, & dogmata gloriam Dei læ-  
dantia, & sape faces sunt maiorum motuum & tu-  
multuum. Quare tueamur piam Ecclesiarum nostrarum  
ðubitorum q; oþodoxias & foueamus commu-  
nem consociationem, & cū omnibus hominibus (quan-  
tum quidem in nobis est) pacem colamus & pia  
præteritiae ac moderatione aliorum nauos & errata  
sanemus: ut vera Dei notitia inter homines con-  
seruetur

seruatur & eadem longè lateq; spargatur. Qui duo  
principiū fines & duo mandata summa sunt, in  
descendo, in consulendo, in totius vita gubernatione in-  
tuenda & obseruanda: sicut vota filij Dei adeo ar-  
dentia hīcē duabus de rebus nobis proponuntur, ut  
nulla ardentera in cōlo aut terra unquam audita  
sint. Et Apostolus dicit: cum omni humilitate, cum  
mansuetudine & longa patientia tolerate vos iniui-  
cem, in caritate, solliciti seruare unitatem spiritus  
in vinculo pacis. Inq; Deo sit mēs una sit unus amor.

### P R E C A T I O

Deniq;, cum sine Deo nihil feliciter succedat, &  
Deo non dante & iuuante nihil efficiat honor & la-  
bor, nullaq; hominum studia & ministeria sint pro-  
spera & Ecclesiae salutaria non gubernante Deo qui  
benignissimus non tantum mandauit seuerē, ut  
ipsum inuocemus, sed etiam clementissimē promi-  
xit se inuocantes certō exauditurum esse, toto pectore  
oro atq; obsecro D E V M fontem omnis sapientiae,  
& felicitatis, ut propter filium virginitum Domi-  
num nostrum IESU M C H R I S T U M suo Spiritu  
sancto te & nos omnes & singulos doceat, adiu-  
ue, regat, & pios motus ad veram fidem, recta  
studia, salutaria consilia & actiones ipsi gratas in  
nobis accendat, nos clementer custodiat, potenter seruet,  
benignissimē faciat vase misericordiae ipsum in omni  
eternitate summa lētitia summis laudibus celebratura.

E P I.

EPIGRAMMA  
AD MAGNIFICVM A-  
cademiæ Rostochiensis Rectorem, D.  
IOHANNEM FREDERVM,  
virum Reuerendum & CL.  
collegam & amicum  
colendum.

EΙΡΗΝΑΙΟΣ ἀδι πλάων ἀγαπέτων ἀλλων  
©πειρ ΙΩΑΝΝΗΝ ΧΡΥΣΟΣΤΟΜΟΝ  
δέχομενα,  
Τῷ τῇ δότῳ σε μοι Θεον κατέλαβετη όψι μελίγηρος,  
Δεῦρ' ίδι γάρ νεότης, Εἰ ποῦνον τὸνδε γεραιόρ,  
Μακέσσν τ' εὐ πεάθαι λέγε ΕΙΡΗΝΑΙΩ ἀγαπῶ,  
Οὐ μῆ δέ αὐδησει δώσει τῇ μείζονι ὄμοιως.

M. IOHANNES POSSELIUS.

AD EVND EM.

IN Dominum pietas, stelerata in criminis Zelus,  
Et regum nullis pectora fracta minis,  
Intrepidæ, exilijs spernax constantia mentis:  
Præstanti ingenio lingua diserta comes.  
Hæc si Theologo cuiquam fulsere uetussto:  
CHRYSOSTMVS nulli iure secundus erit.  
Hunc tua clara vitum dum laudat, auuncule, PEITHO:  
Laudat donantem lumina tanta Deum.

M. MARTINVS BRASCHIVS.



## E I D E M.

Qui bene de Templis studet exoptatq; mereri,  
Ille subit grandis grande laboris opus.  
Quinetiam videoas meritis ante omnia claros,  
Probra, dolos, rixas, exiliumq; pati.  
Quæ loquor, edocitus C H R Y S O S T O M V S attestatur,  
Aurea qui scripsit, mellea qui docuit.  
Cuius Res celebris F R E D E R I voce volabunt  
Doctorum dempto fine per ora virûm.  
Ingenij ergo boni fuerit tibi dicere grates  
Munere pro tali, Vir Reuerende, pias.  
Asiduis votis quoq; sollicitare tonantem,  
Ut multos saluum te velit esse dies:  
Quò possis simili posthac ratione iuuentæ  
Prodeesse, & doctis edere multa libris.

M. Henricus Posselius. I. F.  
faciebat.











